CONCOCTA MEDICARI ATQUE MOVERE OPORTET NON CRUDA, NEQUE...

Francesco medico Zuccherini (medico)

CONCOCTA MEDICARI ATQUE MOVERE OPORTET, NON CRUDA, NEQUE IN PRINCIPIO, MODO NON TURGEANT, RARO AUTEM TURGENT

HANC

HIPPOCRATIS SENTENTIAM

IN ALMO CÆSAREO REGIO

PATAVINO ARCHIGYMNASIO

PUBLICE EXPLANARE AC DEFENDERE SUMPSIT

FRANCISCUS ZUCCHERINI

PATAVINUS CARRARIENSIS

Ad Medicinae Doctoris

INSIGNIA RITE CAPESSENDA

MENSES APRILIS ANNO MDCCCXL.

Patavii

TYPIS PENADA

BENEFACTORIBUS SUIS

AUCTOR

D . D . D .

Concocta medicari atque movere oportet, non cruda, neque in principio, modo non turgeant, raro autem turgent.

HIPPOCRATES aphorismo 22. sect. 1.

De hoc Hippocratis aphorismo multiplex est inter medicos scriptores dissensio, quare alii eum magni faciant, alii contra parvi pendant, planeque rejiciant. Ii quoque ipsi, qui illi explanando sedulam operam navarunt, magna sunt in varietate constituti: quin etiam idem Hippocrates haud sibi constare aliis in locis videtur, sed praesertim in vigesimo aphorismo sectionis secundae, ubi ait: *Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move; vigentibus vero, quietem agere satius est.*

Quod si ex, quae a clarissimis auctoribus de primo illo aphorismo prodita sunt, attento animo consideremus, ipsorum discrepantiam ex hisce potissimum tribus causis proficisci continuo intelligemus, nimirum ex quadam verborum obscuritate, ex ipsius sententiae dissimiles prorsus casus comprehendentis amplitudine et ex varietate demum illarum generalium doctrinarum, quae inter philosophos, medicosque differentium sectarum majori auctoritate valuerunt. Postrema ex istis causis nullum in aegrotantium cura facesseret negotium, si scholae medicae in id sedulo incumberent, non ut ex generalibus illis doctrinis morborum naturas, differentias, medendique rationes haurirent, sed ut quae in morbis per attentam eventuum observationem atque contemplationem comperta

sunt, eorum explicationem quam maxime illis doctrinis accomodatam conquirerent. Jam vero si ita sese medici omni tempore gessissent, jam haud immerito cum Celso dicere possemus: *Nihil istas cogitationes ad medicinam pertinere, eo quoque disci, quod qui diversa de his senserint, ad eamdem tamen sanitatem homines perduxerint. Id enim fecisse, quia non ab obscuris causis, neque a naturalibus actionibus, quae apud eos diversae erant, sed ab experimentis, prout cuique responderant; medendi vias traxerint...... Sic medicinam ortam esse subinde aliorum salute, aliorum interitu perniciosa discernentem a salutaribus. Repertis deinde medicinae remediis, homines de rationibus eorum disserere coepisse: nec post rationem medicinam esse inventam; sed post inventam medicinam rationem esse quaesitam.*

Quae autem ab obscura, neque satis percepta verborum significatione difficultas exsistit, ea summam toti quaestioni caliginem offundit, atque amplissimum ad perpetua dissidia aditum patefacit. Verumtamen in interpretando Hippocrate duplicem auctores instituerunt viam: alii enim studium omne in hoc posuerunt, ut veram Hippocratis mentem assequerentur; alii vero illius jam tot saeculis confirmatam celebritatem veriti summa ope contenderunt, ut ejus sententiis significationem quam maxime observationi accomodatam assignarent. Quae postrema commentationis ratio in medicae artis eo majus incrementum redundassent, nisi dupliciter a plerisque omnibus peccatum esset. Nam modo judicia sua non jam ex attenta morborum contemplatione probare studuerunt, sed aut ex opinionis arbitrio finxere, aut ex pervagatis sectarum doctrinis hauserunt: modo hippocraticae auctoritati plus aequo fidentes conjecturis suis identidem aberrarunt. Neque enim quae in hippocraticis libris continentur, ea omnia cum veritate omnino consentiunt, uti

pulcre multi jam artis medicae principes prodiderunt: quod non de iis tantum libris dictum velim, qui alieni quum sint, tamen in hippocraticos referri consueverunt, unaque emitti, verum etiam de iis, quos ab ipso Hippocrate confectos esse inter omnes diligentissimos auctores constat. Enimvero neminem nostra aetate doctum medicum esse puto, qui hippocraticis *theoriis* assentiatur; et quae solis observationibus nituntur opiniones, etsi ex majori parte probatissimae merito habentur; tamen multae sunt, quae revera nequaquam eam habent amplitudinem, quam prima fronte prae se ferunt: quin etiam sunt aliquae quae a veritate ut quum maxime abhorrent. Ita in libro *De äere, aquis et locis* Hippocrates affirmat Scythas, rescissa vena, quae ad tempora jacet, ineptos ad procreandos liberos fieri: et in aphorismo 42. sect. V. ait praegnantem mulierem, quae marem gerit, bene coloratam esse, quae feminam, male.

Quae sententiae quamvis ex communi rerum observatione profectae esse videantur, eas tamen futiles esse planeque falsas nemo est, qui non intelligat. Sed et plura alia disperse in hippocraticis libris continentur, quae minus cautis multam sane errandi occasionem praebere queunt. Itaque non ita facile, ni fallor, qui mediocriter in arte medica versati sunt, adducentur, ut Hippocratis doctrinam in 15. sect. II. aphorismo expositam sequantur; quamobrem tute omni tempore cibos iis indulgere posse arbitrentur, qui faucium aegritudine laborant, modo alvi dejectiones sanis similes appareant. Saepe enim fit, ut qui faucium inflammatione afficiuntur, ex alvo sanis similia dejiciant, quibus tamen vix aliquid tenuissimi alimenti dari oporteat.

Praeterea in sect. IV. aphorismo 4, nec non et in aphorismo 62. sect. VII. quum omnes febres intermittentes periculo vacare Hippocrates affirmet, si quis illi

sententiae nimis confidet, nonne praeter expectationem aegrum suum a perniciosa febre ereptum identidem videbit? Sed et injuria, si quando in febre difficultatem spirandi, et delirium observaveris, continuo lethum aegroto ominaberis ex judicio Hippocratis in aphorismo 50 ejusdem sectionis. Etenim omnes, qui in Medicina facienda diligentes fuerunt atque accurati, in hoc conveniunt, ut putent incommoda illa non solum certam aegris mortem haud semper portendere, verum etiam in morbis praesertim inflammatoriis, si levia fuerint, et ad diem criticum contigerint, morbi terminum vel magnum saltem levamen per sudorem jam jam erupturum praenuntiare. Ad haec tantum abest, ut perpetuum sit quod de gravidis in aphorismo 35. sect. V. affirmatur, scilicet eas ex detracto sanguine abortum facere, ut multae sint, quibus nisi sanguis mittatur, in illud discrimen facile adducantur. Nec omni tempore si menses parum colorati prodeant, alvi purgatione opus erit, neque ab affusa capiti multa aqua calida febris, quae non a bile ortum duxerit, certam sanationem nostrae aetatis saniores medici promittent, quamvis utrumque eorum ab Hippocrate affirmatum fuerit, alterum scilicet in aphorismo 36. sect. V., alterum in aphorismo 42. sect. VII. Fateamur tamen necesse est, haec, multaque hoc genus alia clarissimos viros ita correctionibus suis ad experientiam saepenumero traxisse, ut ex hisce ipsis tentaminibus lux aliqua, neque adeo exigua, cognoscendis, curandisque morbis affulserit. Ita si aphorismi, de quo hic agitur, interpretationes variae qua inter se, qua cum generalioribus doctrinis medicisque praeceptis, qua cum attenta eorum, quae in morbis fieri solent, contemplatione conferantur, facile in quamdam doctrinae formam deducemur, quae nobis ad morborum curationem viam satis tutam muniat.

Primum autem oportet, ut memoria repetamus illam

medicorum distinctionem, qua totum cujusque brevis morbi curriculum in quatuor partes diviserunt, quarum primam *principium*, alteram *augmentum*, tertiam *statum*, postremam demum *declinationem* appellarunt. In principio atque in augmento morbus ingravescit; at principium differt ab augmento, eo quod in illo actiones vitae minus a sanitatis legibus abesse existimantur; quare difficile sit certos utriusque limites statuere. Quum autem morbus eo gravitatis pervenerit, ut nullam amplius accretionem accipere videatur, sed in eodem gradu permanere atque consistere, tertia morbi pars habetur, scilicet *status*, quem sequitur *declinatio*, in qua morbus leniri coepit, donec desinat, nisi aut aeger prius morti occumbat, aut morbus novam aliam speciem conditionemque acquirat. Multae quidem de hac divisione animadversiones atque exceptiones institui possunt, quas quippe a questione nostra alienas silentio praetereundas omnino nobis esse vel brevitatis causa arbitramur.

Difficilior est magisque aspera quaestio de *concoctione*. Principio quidem duplex cum Galeno statuo concoctionum genus, quarum altera alimentorum est, altera eorum, quae ipsi corpori sunt propria. Postremae istius concoctionis, ad quam referre debemus hunc Hippocratis aphorismum, triplicem partitionem ex hippocraticis libris sciscitatus est Martianus, nimirum *morbi, humorum et excrementorum*. Atqui indicia hujusmodi concoctionis non adeo certa auctores docuerunt. Arabes quidem generatim dixerunt per concoctionem *crassos humores attenuari, tenues autem incrassari*. Attamen non semper concoctos esse humores, qui e tenuibus spissiores evadunt, neque qui e spissis fiunt tenues, ii, qui attente medicinam faciunt, probe cognoscunt. Quod si ea, quae ab Hippocrate, Galeno, aliisque clarissimis viris de concoctione prolata sunt, inter se conferamus, continuo in-

telligemus in hoc prope omnes consentire, ut concocta esse judicent, quae eam in morbi decursu mutationem subierunt, unde morbi ipsius imminutio indicetur. Cruda autem appellantur, quae illas notas nondum praeferunt. Neque inficias eo aliquando in hippocraticis libris etiam alio sensu concocti cognomen usurpari, uti e versu 108. *coacarum praenotionum* facile cognosci potest, ubi haec habentur: *Qui sopore oppressi circa initia tenuiter exsudantes concoctas urinas emittunt cum magna corporis aestuatione, citra judicationem vero perfrigescunt, et rursum ex brevibus intervallis peruruntur, torpore, sopore aut convulsione tentati, perniciose affecti sunt.* Ibi enim concocta vocatur urina, quae speciem praefert similem aliquo modo illi, quae in prima morbi ad salutem inclinatione conspicitur. Itaque immerito turbatus est Duretus in interpretanda hac sententia, quare contra ac Foesius, aliique judicant, urinam hoc in loco non quidem concoctam, sed permolestam dicere malit. Quibus animadversis sequitur, ut concoctio neque in morbi principio, neque in augmento contingere possit, sed in statu atque in declinatione, quod etiam pulcre animadvertit Sprengelius. Neque in omnibus morbis concoctionem expectandam esse patet ex hippocratico libro, qui *De veteri medicina* inscribitur: et si attentum appellamus animum ad ea, quae hac de re clarissimi viri emiserunt, solis morbis febrilibus, neque tamen diuturnis, seu chronicis coctionem, idest concoctionem adsignabimus, neque turgescentiam omnes Auctores aeque definiunt, sed alii alio modo. Plerique tamen, inter quos recensentur Galenus, Mercurialis, Martianus, indicia turgescentiae perturbatae animantium libidine aestuantium petulantiae comparant.

Quae quum ita sint, ut hippocratico illi aphorismo explanationem adhibeamus, quae experientiae respondeat,

paullo altius inquisitionem istam repetere praestat. Principio illud attendamus oportet, quod superius jam diximus, scilicet nonnisi in febribus acutis, seu brevibus coctiones contingere. Itaque de his tantum morbis hoc loco quaeremus; videlicet quando in illis evacuatio conveniat, quando autem eadem nobis sit abstinendum. Quaestio ista inextricabilis omnino prima fronte videbitur ex eo, quod cum altera illa de febrium causa proxima conjuncta sit, de qua adhuc Auctores inter se adeo differunt. Sed parvi refert, quamnam de febris causa proxima doctrinam sequi velimus sive Cullenii, sive Hoffmanni, sive Böerhawii, qui medicorum superioris saeculi principes merito habiti sunt: omnibus enim hisce doctrinis prope eamdem hippocratici aphorismi obtinebimus explicationem. Cullenius nempe ex quadam *atonia* seu debilitate, quae *spasticam* contractionem in minimis vasis parit; Hoffmannus *ex spasmodica generis nervosi, et fibrosi affectione,* unde pariter minimorum vasorum contractio efficitur; Böerhawius demum ex majori cordis irritatione una cum aucta ad capillaria vasa *resistentia,* quare sanguis in minimis istis vasis restet, quo tempore per majora citatiori motu cietur, febrem proxime oriri, existimarunt. Differunt quidem opiniones istae inter se, sed tamen in hoc omnes conveniunt, ut in febre impetum quidem sanguinis augeri affirment, ita tamen ut aegrius per minima vasa moveatur; hunc vero motum expeditiorem in febris declinatione fieri doceant. Atque hanc sententiam ab iis opinionibus, quae a praestantioribus nostrae aetatis medicis prolatae sunt, si attentius perlustrentur, haud valde abhorrere, meo judicio, intelligemus. Verum enim vero ex cöercito, et quasi implicato sanguinis impetu interea dum aestus corporis auctus est, mutatio aliqua humoribus accedat oportet propter mutuam variamque suorum initiorum actionem seu ut di-

4.82

cere Chimici malunt, *affinitatem*. Atqui ita corpus humanum a natura comparatum est, ut morbidae illae humorum particulae a sanis secedant, et quum primum inordinatus ac turbulentus partium renisus remitti coepit, qua data porta ruant, et aut foras ejiciantur, aut in aliquam internam partem, magno plerumque aegrotantis damno, sese conferant. Tunc temporis *crisis* adesse dicitur et evacuationes illae *criticae* nuncupantur. Ex hac de crisibus opinione sequitur, ut illis excretionibus non aliqua materies, quae sua pravitate morbum effecerat, toto illo temporis curriculo naturae viribus mutata atque subacta secedat; sed ipsi humores jam sani, qui per morbi actionem in alienam indolem conversi sunt. Quamobrem haudquaquam ab illis evacuationibus sanatio fit; sed a morbi ipsius sanatione, videlicet a salutari perturbatorum renixuum cessatione evacuationes illae oriuntur. Evacuationes autem istae modo ex una parte contingunt, modo ex alia, scilicet aut sudoribus, aut vomitionibus, aut urinis, aut sputis, aut alvi dejectionibus, aut alio aliquo modo pro varia morbi natura, et aegrotantis conditione. Ita morbi coctio nihil aliud est, quam salutaris praedictae perturbationis cessatio; humorum concoctio est ipsa eadem mutatio, quae ex perturbato illorum motu perficitur; et cocta excrementa sunt res illae, quae a mutatis humoribus ortae sunt, et, sublatis adversis impedimentis, e corpore exturbantur. Quod si illa materies aut propter virium imbecillitatem, aut ex impedito, vel turbato proposito naturae cursu secedere a sanis humoribus, vel e corpore exire nequeat, tunc illa ipsa corpori novam aliam vim infert, novusque hinc morbus exsistit. Inde conficitur, ut si quando aliqua proximae impedimentorum solutionis indicia appareant, quum ea sit virium imbecillitas, ut crisis vel deficiat, vel aegre perficiatur, oporteat vires extollere incitamen-

to aliquo corporis conditioni morbique indoli accomodato; qua in re illud curare sedulo debemus, quod ab Hippocrate in aphorismo 21. sect. 1. *praeceptum* est: scilicet *quae ducere oportet quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit.* Hac doctrina illis difficultatibus occurritur, quae identidem morborum curae offecerunt. Ita multi olim medici sanationes, febrium intermittentium per corticem peruvianum veriti sunt, quod in illis nullae saepenumero evacuationes prodeunt, quibus materies eliminare e corpore queat, quam morbum facere arbitrabantur. Atque haec causa fuit, quare clarissimus Albertinus tum demum febres intermittentes tuto certoque ab exhibito cortice peruviano sanari judicaverit, quum exinde aliqua exsistit evacuatio: istamque opinionem per aliquas observationes in tomo I commentariorum Academiae Bononiensis probare nititur.

Sed praeter illas evacuationes, quae in morbi remissione proveniunt aliae etiam sunt, quae jam inde ab initio, magno aegrotantis levamine, vel sponte per salutarem partium renixum, vel dedita opera ab experto cautoque medico apte excitantur. Iam vero aliquando fit, ut materies aliqua, aut quia nimia copia, aut quia qualitate peccat, vel morbum ipsum efficiat, vel ex alia causa jam ortum alat, atque augeat. Turgere hoc in casu materiem dicemus, ejusque quovis morbi tempore cum magno aegrotantium bono imminutionem aggrediemur, si sola nimia copia sanitatem turbet; integram vero ablationem, si noxia natura instruatur, atque ita a vitae functionibus sejuncta sit, ut facile, commodeque e corpore expelli possit. Ita si jam inde ab initio sanguine turgeat corpus, omni sublata mora, sanguinem detrahere oportet: mirum enim quantum haec conditio morbum augeat aegrumque pessundet! Etenim sanguis nimia ista

sua copia (praeter quam quod firmarum partium noxiam tensionem sustinet) aut vires vitae quasi suffocat, aut in diversas partes inordinato caecoque impetu appellans eas tendit, incitat, disrumpit maximasque, ac aliquando vix explicabiles turbas in universi aegrotantis jam corporis functionibus quam brevissimo temporis curriculo ciet; neque vero ejusmodi vasorum plenitudo cum duabus illis corporis conditionibus est confundenda, ex quibus in morbi decursu propter motus sanguinis inaequalitatem a fatiscentibus vitae viribus ortam, aut quum idem ad summum fastigium devenerit, propter salutarem tantum renisus remissionem sanguis ex aliqua parte corporis, sed praesertim e naribus sponte effluit: quippe quum a neutra istarum conditionum opportuna mittendi sanguinis occasio indicetur. In altera enim vires exinde penitus prosternuntur; in altera constitutus naturae ordo invertitur atque turbatur. Inde patet, cur Hippocrates haemorrhagias modo salutares, modo noxias aut lethales deputaverit, et cur clarissimus Swietenius in Commentario in aphorismo 541 Böerhawii dixerit: *Plurimae observationes medicae docuerunt spontanea narium haemorrhagia sanari morbos felicissime, qui frustra venae sectione tentati fuerant.*

Hac dissimili ratione si a principio morbi in ventriculo, vel in intestinis aut vulgaria excrementa, aut vermes, aut corrupti humores, aut graves stomacho cibi morentur, aut viscida materies parietes obducat illisque adhaereat, quae res vel ipsum morbum pariant vel saltem illius turbas augeant, et constitutum naturae ordinem plus minus invertant; danda est opera, ut confestim e corpore ejiciantur. Attamen tria sunt attendenda: primum ut id per locum aptiorem, scilicet alias vomitione, alias alvi dejectione perficiatur: secundo ut iis auxiliis, eaque forma praeditis utamur, quae sint magis ad morbi atque

materiae excernendae naturam atque sedem accomodata; nempe modo emeticis, modo clysteriis, modo catharticis ex rebus diversis petitis, aliis alias: demum ut tempore opportuno haec fiant; quod eo dico, quia aliquando aut ob magnam materiae excernendae visciditatem, nimisque firmam vel stomacho, vel intestinis adhaesionem, aut ob nimiam in morbi initio illarum partium irritabilitatem, remedia, quae tunc temporis ad illas excretiones adhibenda sunt, eam vim naturae afferunt, ut plus intempestive incitando noceant, quam noxias materies expellendo prosint. Quare multi praestantissimi medici, inter quos referendi sunt Tissotius, Burserius, Petrus Frank, experientia edocti in gastricis, vel biliosis febribus cito e primis viis noxiam materiem expellere jubent: addunt tamen aliquando necesse esse illam, aptis antea adhibitis auxiliis, ad exitum disponere. Huc etiam referri posse censeo aphorismum IX. sect. 2 Hippocratis: *Corpora ubi quispiam purgare vult, fluida faciat oportet;* in quo interpretando Hallerius docet quatuor in purgatione instituenda medicum attendere debere: *ut natura bene sit comparata ad excretionem, materia non repugnet, viae, per quas fit purgatio sint liberae et medicamentum analogum materiae excernendae;* et paullo post addit: *materia rursus bifariam parata est ad excretionem, quum vel turget vel maturata est.* Haec autem cum nostra doctrina maxime congruunt. Nam quae res in primis viis versantur et sua aut copia, aut qualitate corporis functiones turbant eae, quam primum fieri commode potest, e corpore sunt expellendae: quae vero ex morbo ipso insalubres fiunt, atque in morbi, seu *spasmi* cessatione, aut imminutione a sanis humoribus sejunctae in primas vias effunduntur, earum frustra, imo vero cum aegrotantis damno temporius expulsionem moliemur. Quae de alvi purgatione, et de sanguinis missione diximus, ea

haud magno negotio sudoribus ceterisque excretionibus aptari queunt.

Ex iis sane, quae adhuc exposui, clarissime, ut opinor, apparet quam late proposita Hippocratis sententia pateat, et quo sensu usurpari debeat et ad morborum sanationem adhiberi. Ita enim corporis humani partes aliae ex aliis nectuntur, atque adeo mirabili ordine dispositae sunt, et inter se consociatae, ut in obeundis vitae atque sanitatis muniis mutuam sibi operam praestent, omnesque ad quamdam veluti actionis unitatem conspirare videantur. Quamobrem si quando mirus iste functionum concentus turbetur, unde morbus consistat, natura sibi ipsi plerumque sufficit, suoque marte abruptum atque aberrantem suarum functionum ordinem restituit, modo ea, quae conatibus suis impedimento sunt, tollantur. Igitur nihil est, cur miremur, si Sydenhamius, Stahlius, aliique praestantissimi viri tanti fecerint illud hippocraticae doctrinae fundamentum, quo *Arti non alia demandetur provincia, quam ut deficienti naturae succurrat, effraenem cöerceat, et in ordinem redigat.* Itaque eam propositi aphorismi in medicina facienda sequemur explicationem, per quam, si quando materies aliqua vel nimia copia vel noxia natura sanitatem turbet, aut morbum augeat, eam quovis morbi tempore educere vel expellere quam aptioribus auxiliis conemur, dummodo id sine majori aegrotantis incommodo fieri possit: quae autem morbo ipsi ortum suum acceptum refert, et in morbi solutione a ceteris sanis humoribus sejungitur, atque modo hinc, modo illinc effunditur, ejus evacuationem non prius aggrediemur, quam quum indicia aliqua appareant, quae morbum ad declinationem jam vergere moneant; idque ipsum tum demum faciamus oportet, quum naturae vires adeo sint infirmae, ut vel insalubris illius materiei segregationi perficiendae haud suf-

ficiant, vel segregatam expellere e corpore non valeant.

Neque enim cum Asclepiade et *Methodicis* purgationes continenter verebimur, neque cum Helmontio sanguinis detractionem non jam omni tempore deputabimus, neque illorum contrariam sequemur consuetudinem, qui jam inde a cujusque morbi initio alii quidem sanguinem mittunt, alii aut dejectione, aut vomitu purgant, alii sudores provocant. Abeant generales illae medendi normae, quae ex paucis hiulcis, elumbibusque observationibus specioso quodam doctrinam apparatu fucatis ingenia hominum identidem composuerunt, atque evulgarunt. Hippocratica praecepta, discussa caligine, qua aliquando obcaecantur, quum plerumque et experientiae omnino respondeant, et dispersas observationes nectere valeant, et adeo paria sint iis explicandis, quae in aegrotantibus contingere conspiciuntur, ita firmis fulcimentis instruuntur, ut juxta illam philosophandi normam a Newtono primo loco positam nullam plane dubitationem habere videantur.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Actio primaria medicamentorum a secundaria distinguenda.

II.

Theoria medica una tantum datur, cum unica tantum existat in rerum natura veritas.

III.

Medicus juvenis vel incertus vel audax.

IV.

Non dantur morbi haereditarii sed dispositiones.

V.

Medicus aegri animum erigens optimam facit medicinam.

VI.

Infantes paullatim et pluribus vicibus lactent.

VII.

Remedia topica in morbis topicis singularis sunt efficaciae.

VIII.

Non datur morbus absolute dynamicus, neque absolute organicus.

IX.

Haemorrhagiae vasorum minorum fere semper salutares.

X.

In curandis foeminarum morbis prudentia scientiam praecedit.

XI.

Morbi non eloquentia sed remediis sanantur.

XII.

Adridens Baccho adflebit Aesculapium.